

nam mihi ipsi satisfeci aliquantum; an & aliis idem fecero, penes me non est judicare; Non offensurum spero ex hoc ipso, quod si erratur, erratur tantum circa res historicas (quales sunt pleræque istæ, quæ difficultatem hic creant) ubi non impingitur in analogiam fidei aut doctrinam ecclesiæ.

Quòd eruditissimis oculis rudia hæc mea proponantur primum, vir clarissime, non ex audaciâ est, sed ex officio, & gratitudine, & obligatione. Novi satis, nihil à tenuitate meâ cudi aut formari posse, quod literaturâ summâ illâ, quâ insigniter & splendidissime fulges, dignum esse possit. At cum summâ tuâ humanitate, quâ æquè fulges, res mihi est & hisce chartis. Accedunt illæ illam veneraturæ, eiq; gratias quam possum maximas adituræ, ob favorem, subsidium, patrocinium illud, quo me sublevare & solari dignata est, cum adversis premerer, & res meæ forent in angustiâ. Succurristi, vir celeberrime, & manum auxiliatricem porrexisti ignotus etiam, etiam ignoto, idq; sponte tuâ & non rogatus, idq; cum omni sedulitate, curâ & affectu: Ob! quanta debeo humanitati isti, & quid reddam? Votivum monumentum esto hoc quæle quæle litterarium: Inscripto magno nomine tuo, sine ut vivat & gloriatur: & testetur universis debitam observantiam, officium, & gratitudinem,

Ex aula S. Catharinæ Cantab.
Vesperis Comitiorum

Jul. 4. 1664.

Vir Honoratissime,

Clientis tui humillimi
devinctissimique

JOH. LIGHTFOOT.

DE